



CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

PROT. N. 335/88s.

D.nus PETRUA MARIA CIA GAZTELU, sacerdos professus

Ordinis Fratrum Minorum

petiit dispensationem a sacerdotali coelibatu.

SS.mus D. N. IOANNES PAULUS, Divina Providentia Papa II,

die 30 iunii 1989

habita relatione de casu a Con-

gregatione pro Doctrina Fidei, pręcis annuit iuxta sequentes rationes:

1. Rescriptum vim suam exserit a momento notificationis a competenti Auctoritate ecclesiastica oratori factae, et amplectitur inseparabiliter dispensationem a sacerdotali coelibatu et simul amissionem status clericalis. Numquam oratori fas est duo illa elementa seiungere, seu prius accipere et alterum recusare. Si vero orator est religiosus, Rescriptum continet etiam dispensationem a votis; idemque insuper secumfert absolutionem a censuris, quatenus opus sit.

2. Notitia concessionis dispensationis adnotetur in Libris baptizatorum parociae oratoris.

3. Quod attinet ad celebrationem canonici matrimonii, applicandae sunt normae quae in Codice Iuris Canonici statuuntur. Ordinarius vero curet ut res caute peragantur sine pompa vel exteriori apparatu.

4. Auctoritas ecclesiastica, ad quam spectat Rescriptum cum oratore communicare, hunc enixe hortetur, ut vitam Populi Dei, ratione congruendi cum nova eius vivendi condicione, participet, aedificationem praestet et ita aman-tissimum Ecclesiae filium se exhibeat. Simul autem eidem notum faciat ea quae sequuntur:

a) sacerdos dispensatus eo ipso amittit iura statui clericali propria, dignitates et officia ecclesiastica; ceteris obligationibus cum statu clericali conexus non amplius adstringitur;

b) exclusus manet ab exercitio sacri ministerii, iis exceptis de quibus in cann. 976, 986, § 2 ac propterea nequit homiliam habere. Insuper nequit fungi ministerio extraordinario sacrae Communionis distribuendae nec potest officium gerere directivum in ambitu pastoralis;

c) item nullum munus absolvere potest in Seminariis et in Institutis aequiparatis. In aliis Institutis studiorum gradus superioris, qui quocumque modo dependent ab Auctoritate ecclesiastica, munere directivo vel officio docendi fungi nequit;

d) in iisdem vero Institutis studiorum gradus superioris ab Auctoritate ecclesiastica non dependentibus nullam disciplinam proprie theologicam vel cum ipsa intime conexam tradere potest;

e) in Institutis autem studiorum gradus inferioris dependentibus ab Auctoritate ecclesiastica munere directivo vel officio docendi fungi nequit nisi Ordinarius, pro suo prudenti iudicio et remoto scandalo, ad munus docendi quod attinet, aliter decernere aestimaverit. Eadem lege tenetur sacerdos dispensatus in tradenda Religione in Institutis eiusdem generis non dependentibus ab Auctoritate ecclesiastica.

5. Per se sacerdos a sacerdotali coelibatu dispensatus, et a fortiori sacerdos matrimonio iunctus, abesse debet a locis in quibus eius antecessus condicio nota est. Ordinarius loci commorationis oratoris tamen, audito quatenus opus erit, Ordinario incardinationis vel Superiore maiori religioso, dispensare poterit ab ista clausula Rescriptum afficienti, si oratoris praesentia scandalum paritura non praevideatur.

6. Denique ei aliquod opus pietatis vel caritatis imponatur. Tempore autem opportuno breviter ad Congregationem de peracta executione referatur, et si qua tandem fidelium admiratio adsit, prudenti explicatione provideatur.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Ex Aedibus C. pro Doctrina Fidei, die 30 iunii 1989.

J. Haluauky
Seben.

Procurator Generalis C. P. M.
Protocollo n. 4550